

victoria sua superbe latatur. Erat Simon vehementi eloquentia, & ea quidem authoritati atque opibus æquali, ipsaque carceris calamitate clarior euaserat, cuius indignitas, multorum animos ita permouerat, ut Turriani non mediocri inuidia deflagrarent. Eo modo Comenses tumultuario studio & subita quadam acclamatione, Othoni, patritiisque adhærendum decernunt, sed ne statim per Decuriones decretum scriberetur, ambo vrbis Consules obstitere, Henricus scilicet Aduocatus, & Gaspar Ficanus Vitanæ principes factionis. His sese opposuit Ioannes vrbis episcopus, qui Othonem studiose ad modum colebat, patritiorumque exulum causam insigni pietate ardore que suscipiendam arbitrabatur. Ita tumultu exorto diuisus in duas factiones Populus, arma corripuit, mediaque in vrbe atrociter est dicatum. Lucterius Rusca & Simon, aduersarios è foro multis illatis vulneribus in Prætorianas ædes compulerunt, cotinuatoque certamine, Prætorio atque vrbe, captis consulibus eiecerunt. Nec multo post constituta ad arbitrium Republica & excisis Vitanorum turribus, Otho è Nouaria publicis literis est euocatus. Is primus dies Othoni è tantis calamitatibus felix illuxit, nam ab eo dehinc die, vti rerum scriptores referunt fortuna Turrianis nusquam arridens eos è tanto fastigio continenter detraxit. Exceptus est Otho à Ioanne Comensi episcopo, Singulari cum honore, priuataque eius pecunia ad exornandas copias est adiutus. Cæterum Lucterius & Simon conquisitis vndique equitibus, atque item sagittariis & scutatis cohortibus è Verbano & Lario, Luganoque & Belitiona, armataque etiam in primis Comensium iuuentute iustum prope exercitum coëgere. Interea Otho exulesque Patritii ad se Comum acciuere Ricardum Languscum Laumelli Comitem, virum bello acerrimum & Turrianis ex Gothifredi fratribus nece, vehementer infensem. Adduxerat is veteranam cataphractorum alam, ex his qui sub fratre meruerant, statimque ei omnium copiarum Imperium magno assensu delatum est. His comparatis Otho concionatus ad Comenses, gratias cunctis eorum ordinibus humaniter egit, quod liberali & egregia voluntate defendendas ipsius iniurias opportune suscepissent, militaremque operam promptissimis animis prestarent, aduersus Turrianos impios execrablesque homines, atque ob id toties à summis Pontificibus inferorum pœnis cruciatibusque deuotos, cuius studii immortalisque beneficii memoriam, nunquam esset è memoria deleturus. Ioannes vrbis episcopus ad hæc totius Populi nomine respondit ea mente Comenses eius optimæ causæ studio adductos sumpsisse arma, vt profici scentem ad patriam sacratamque sedem suam, eductis vexillis sequerentur, fierentque eius victoriæ socii atque participes, quam Dii iustitiae defensores vltoresque nefariæ tyrannidis aduersus impios & iniquos homines pollicerentur. Proinde læto animo in hostes conten deret,